

J d.
5603





DISSERTATIO
INAUGVRALIS EXEGETICO THEOLOGICA
DE
SACROSANCTA
IVRISIVRANDI DIVINI
IN CONSERVANDO MESSIS
ORDINE FIDE

AD ILLUSTRANDVM LOCVM IEREM c V c 24

QVAM
PRAESIDE
FRIDERICO GVILIELMO
IAHR

S·S·THEOLOGIAE DOCTORE HVIVSQVE PROFES
SORE PVBLICO ORDINARIO ET ALVMNORVM
REGIO-ELECTORALIVM EPHORO

ANNO OB RELIGIOSAM PACEM COETVI
EVANGELICO-LVThERANO IOBELAEO

DIE SEPTEMBR MDCCLV

PRO LICENTIA
SVM MOS CONSEQVENDI IN THEOLOGIA
HONORES

IN AVDITORIO MAIORI DEFENDET
AVCTOR

IO· CHRISTIANVS SCHVLZIUS

ECCLESIAE HELDRVNG PASTOR PRIMARIUS
ET VICINARVM SVPERINTENDENS

VITEMBERGAE


PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELD

ACADEMIAE A TYRIS

1797
a. CXXVIII. 10.

DISSERTATIO
INAGURALIS ENERGETICO THEOLOGICA
DE
SACROSANCTA
TRINITATE DIVINI
IN CONSERVANDO MISSIS
ORDINE FIDE

FRIDERICO WILHELMO
P R A E S I D E



PRO FIDELI
SVMOS COEUV
HONOR
IN ANNOTATIONIBUS REVIDET
ACTOR
IO CHRISTIANVS SCHLIZIVS
VITTEBERGAE
PUBLIO FRIDRICH DOTTOR. HALLAE P.
1848





D. B. I

PRAEFATIO

§ I



Nihil magis mihi illustrare interpretis sacri *Quae res*
personam uidetur, quam si, adhibitis *maxime in-*
omnibus prudentiae praesidiis, ut loquentis *terpretis sa-*
et sensum, et sententiam, et finem, et sco- *cri personam*
pum, probe calleat, ut, quomodo dicta *illustrat*
inter se cohaereant, scite intelligat, ut om-
nia, quae contextum circumstant, *a* sapienter pon-
deret, et, quid rem unamquamque uel antecedit, uel
consequatur, *b* maxime perspiciat, non, quid ipse senti-
at, quid uelit, quid probet, quid opinetur, sed, quid
dicat, quid iudicet, qua opinione ducatur, cuius ex-
cutere

A 2

cutere sensus, cuius explicare rationem, uult, scriptor, uidere quam acutissime et celerrime possit. ^c Qua, si inuestigandi, indagandique auctoris, quem explanandum sibi sumsit, sensum, prudentia caret, parum uel nihil, omni, uel linguarum, uel historiae, uel antiquitatis, uel rituum, uel morum, uel opinionum, cognitione ac scientia efficiet. Non decet, profecto, uirum sapientem, quem esse interpretem scriptorum uolumus, sententiam suam pronuntiare prius de quadam re, nisi alterius probe animum inspexerit et uelut cogitationes. Haec etiam, si alia, nos in primis res impulit, ut, cum scribere quaedam et commentari de *sacrosancta iurisiurandi diuini in conseruando messis ordine fide*, et uim uerborum sententiarumque oraculi IEREMIAE *C. V. c. 24.* interpretari, uellemus, non ad eius nos prius expositionem, quam, si illud, quis, ad quos, quem in finem, haec omnia dixerit, breuiter fuerit explicatum, conuerteremus

^a Vid. omnino IO. IACOBVS RAMBACHIUS *Institut. Hermeneutic. sacr. Lib. II. c. II. § III. sequ. p. 108. sequ.*

^b Ad ea, quae contextum sacrum uel antecedunt, uel consequuntur, diligenter animum cum primis attendisse magnum illum et felicissimum utriusque instrumenti diuini interpretem, LUTHERVM, eius non ineptus rei testis est VVOLFGANGVS FRANZIUS, ipse interpres satis acutus, in *Tract. Theologic. de Interpretatione scripturarum sacrarum praefat. p. m. 11*

^c Satis

c. Satis recte hac de re disputat IOANNES CLERICVS *Artis Criticae Volum I Sect I § 2. p. nr 3*

§ II

Vates ille, diuinitus excitatus, IEREMIAS, qui *Scopus oraculi indicatur* oracula sua tempore Iosiae, Ioachasi, Ioiakimi, Iechoniae, et Zedeckiae, Regum Iudae, edidit, & excisionem Hierosolymae, et praedixerat saepius, et uiderat ipse, et lamentabili, castigatis saepius uerbis frustra incolis, deplorauerat uoce. Caput oraculorum eius quintum, ex quo omnis disputationis meae argumentum desumptum est, satis hoc clare testatur. In eo enim scelera summa Iudaeis obiicit, additis grauissimis irae ac uindictae diuinae minis, et stupra nefanda. Decem Israelis tribus, diu quidem ante IEREMIAE tempora, in seruitutem aeternam abductae erant, nihil tamen impedit, quo minus et eorum, comparatis utriusque inter se studiis, faciat mentionem. Iustum enim et aequum est, ut pares cum paribus, quod est tritum sermone quotidiano prouerbium, congregentur. Quorum enim par culpa est, non potest dispar esse poena. Iuda igitur saepius Israel, ob morum flagitiorumque similitudinem, uocatur. Typus enim Israel, et peccans multum omni in uitae genere, et abductus, dispersusque longe lateque per nationes exteras, et quasi speculum populi Iudaici erat, IEREM. c. III. u. 6. 7. 8. c. VII. u. 14. 15. Vrbs certe Silo, sancta alias tabernaculi di-

vini fedes, diruta nunc et diferta, esse imago Hierosolymae, mox euertendae, debebat. Dum igitur asperius Deus Hierosolymas *u* 1^o et Israelitas et Iudaeos simul, *u* 11^o 15^o 20^o appellat, uel ex eo, quibus nam tot calamitates denunciaret, quos nam oculis ad caedem notet, fatis perspicue cognoscitur. Vtraque enim domus, spretis nefarie salutis pacisque omnis consiliis, prouocauerat ad iram Deum. Enarrat praeuaricationum genera et commemorat, quibus se se maculauerant, Israelitarum uestigia sequentes, Iudaei, uates diuinus. Pungit generatim *u* 1^o perditos gentis mores, et describit. Periuria, uiolatamque turpiter fidem *u* 2^o recenset. Animum durum, omnique disciplina inexpugnabilem, horret, *u* 3^o 4^o 6^o Vanam idololatriam, ac detestabilem idolorum cultum, *u* 7^o exponit. Stuprorum nunc, atque adulteriorum foeditatem, imo et auaritiam, plane insatiabilem, eis exprobrat, *u* 7^o 8^o Insaniabilem nunc animi ingenique prauitatem sub censuram uocat. Modo illud, quod parum uel nihil, uel miraculorum diuinorum splendore, uel beneficiorum magnitudine, uel fidei, in custodienda messe, constantia, commouerentur, in eis reprehendit. Insidiarum modo studia, technas et fraudes, quibus falluntur incauti, utriusque gentis, ualde uituperat, *u* 26^o 27^o Iustitiae modo uiolatae, cum nullam, neque egentium, neque orphanorum, rationem haberent, eos incusat. Tandem aperte, uates eorum mendacia dicere, et sacerdotes

dotes imperiosos esse, pronunciat. Varia igitur sunt, a quibus obiurgantur, peccata. Ruunt enim in peius semper, errant misere et labuntur, quotquot uitiosam suam consuetudinem nullis emendare uirtutibus fiunt

d. Vid. Io. GOTTLOB CARPZOVII, Theologi commemorabili uirtute praediti, *Introductio ad libros canonicos Biblior. Vet. Testamenti Part. III. c. III. §. IIII. p. 148. seq. et §. VIII. p. 165.* Io. LIGHTFOOTVS in *Chronic. tempor. et ord. tex. utriusque testamenti Tom. I. oper. p. 103* et HERM. VVITSIYS *Miscellaneor. sacr. part. I. lib. I. p. 239*

§ III

Mirum itaque non est, si IEREMIAS, Iudaeorum peccata, cum Israelitarum flagitiis, comparans, etiam poenas et Iudaeorum calamitates afflictionibus Israelitarum assimilauerit. Agit hoc in ipsa peccatorum enumeratione, id, quod ex uersibus 6. 7. 9. 10. 15. 16. 17. 29. manifeste patet. Nunc enim Hierosolymis desolationem, caedem, ac stragem ciuium insignem, minatur, et Chaldaeos leonum, luporum, ac rapacium pardorum instar, Iudaeam deuoraturus esse, certo affirmat. Nunc, ipsis Iudaeorum hostibus, Chaldaeis, imperat, et imo excitat, ad motis quasi stimulis, eos, ut Hierosolymae muros ascendant, diruant, percutiant, incolaeque eius in seruitutem abducant. Nunc, decem tribuum exemplo, hostibus tradendos eos esse, asseuerat. Tela, gladios, arma cruenta, robusta itidem Babyloniorum corpora

Poenas Iudaeis Ieremias promeritas indicat

pora, cominus ueluti, eis ostendit, praedicens simul, fore, ut agros eorum depopularentur, eosque aliam in regionem deportarent, falcemque suam in alienam immitterent messem. Ne autem de poenarum calamitatumque certitudine dubitent, ad iustitiam suam immutabilem *u. 11. 29.* prouocat Deus, cuius utpote hoc munus est, ut non leuius, quam promeriti sunt, puniat delinquentes, neque impunitos dimittat fontes

e. V. 10. Ascendite muros eius et dissipate, consummationem autem nolite facere. Auferte propagines eius, quia non sunt Domini. Hic loci Imperatiuus pro Futuro Indicatiui ponitur, istaque enallage tam modi, quam personarum, in scriptis prophetis, est frequentissima. Innuitur enim eius modi dicendi ratione certus rei futurae euentus, et permissio ac uoluntas Dei, qui opera et armis hostium in puniendis Iudaeis utitur

§ IIII

*Propior
contextus
contemplatio*

Considerato studiose, quoad fieri eius potuit, *IEREMIAE* scopo, ad ipsius me statim contextus nostri explanationem conuerto. Versu uicesimo tercio accusauerat Propheta Iudaeos, quod habeant *לב סורר וסורה* *cor auersum et rebelle*. Probat hoc nouis rationibus. Increpat ingratos animos, ingratas mentes, ingrata pectora populi, qui, pro tot, tantisque beneficiis, tempore messis acceptis, Deum, omnis boni auctorem, nullis nec laudibus ornet, nec colat, nec timeat, neque ipsi debitas gratias agat, nec prouidam eius curam agnoscat

scat, agnitamque iuste ueneretur. Ostendit porro, hunc cultum, gratiae loco, Deo deberi. Illum messis largitorem, pluuiam enim dat, illum eius conseruatorem, fidem enim iurisiurandi de custodiendo illius ordine sanctissime seruat, esse. *Nam non dicunt, in corde suo: Timeamus quaeſo Dominum Deum nostrum, qui dat pluuiam matutinam et serotinam in tempore suo. Iuramenta statutorum, ordinis, messis seruat nobis.* Tria itaque in hoc dicto prophético explicanda in primis erunt. I. *Iurisiurandi diuini fides.* II. *Modus, quo Deus hanc iurisiurandi fidem conseruare solet, dando scilicet pluuias serotinas et matutinas.* III. *Timor Domini, siue cultus Dei, grati animi tessera, ab ingrato populo, qui fidem iurisiurandi diuini maleficiis compensat, pessime neglectus.* Inuerto hic ordinem uerborum, et ordinem rei, ac naturae, sequor. Beneficium igitur, ac fides iurisiurandi diuini, primum, pluuiam alteram serotina et matutina, nutrit enim fruges et alit, tertium denique hominum animus, qui beneficium hoc agnoscit, et laudat, locum occupabit

CAPVT I
DE
NATVRA AC FORMA IVRISIVRANDI
QVO DEVS STABILEM ET FIRMVM
MESSIS CONSTITVIT ORDINEM

§ I

Fontes et uersiones in medium afferuntur
Fontes Ebraei, quod constat inter omnes, limpido-
 res uersionibus fluunt. Consulendi hi, habita tá-
 men et uersionum ratione, in primis sunt. Age igi-
 tur, et fontes in medium et praecipuas proferamus
 uersiones

Veritas Ebraea

וְלֹא-אָמְרוּ בְּלִבָּבָם נִרְאָה נָא אֱלֹהֵינוּ אֵל הַיְיָ הַנֶּחֱמָה
 ; נַשֵּׂם וְנִרְאָה וּמִלְקוֹשׁ בַּעֲוֹן שְׂבַעַת חֲקוֹת קָצִיר וְשֶׁמֶר-לָנוּ ;

Versio Graeca

Καὶ οὐκ εἶπαν ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῶν, Φοβησάμεν δὴ κύριον τὸν
 Θεὸν ἡμῶν, τὸν δίδοντα ἡμῖν ὕετον προΰμιον καὶ ὄψιμον, κατὰ
 καιρὸν πληρώσεως προσάγματος θειοῦ, καὶ ἐφύλαξεν ἡμῖν. f

Vulgata

*Et non dixerunt in corde suo. Metuamus Dominum
 Deum nostrum, qui dat nobis pluuiam temporaneam et
 ferotinam in tempore suo, plenitudinem annuae messis cu-
 stodientem nobis*

SEBASTIANI CASTELLIONIS

*Metuamus Iouam Deum nostrum, qui et primores,
 et*

IN CONSERV. MESSIS ORDINE FIDE II

*et posteriores suo tempore dat imbres, qui nobis statos
messis septenarios custodit*

FRANCISCI VATABLI

*Et non dixerunt in corde suo. Timebimus saltem Do-
minum Deum nostrum, qui dat nobis imbrem tempesti-
uam et serotinam suo tempore, iuramentis statutis mes-
sem seruat nobis*

BENEDICTI ARIAE MONTANI

*Et non dixerunt in corde suo. Metuamus nunc Do-
minum Deum nostrum dantem pluuiam et temporaneam
et serotinam in tempore suo, septimanas statutorum mes-
sis custodiet nobis*

Germanica LVTHERI

*Vnd sprechen nicht einmahl in ihrem Hertzen.
Lasset uns doch den HErrn unsern GOTT fürchten, der
uns Früh-Regen und Spät-Regen zu rechter Zeit giebt,
und die Erndte treulich und iährlich behütet*

f. Secundum IOANNIS IACOBI BREITINGERI editionem,
quae loco εἰπὼν habet εἴπῃν

§ II

Quaquam contextus nostri uerba, *שבעה חקיה* Verbi
קציר facilia intellectu esse uidentur, interpretis tamen *שבועה*
hoc munus esse existimo, ut singulorum uim excutiat, *notio expli-*
natiuumque eorum exponat sensum. Vox *שבעה* iura-
menta significat, et in numero plurali *Hab. III 9* ea-
dem



dem ratione adhibetur. שבועה Ebraeis idem est ac iuramentum, seu iusiurandum. *Num V. 21. XXX. 3. Iof II. 17. 20. 1 Sam XIII. 26. 2 Sam XIII. 11. Ef LXV. 15. Dan VIII. 11. 1 Reg II. 43. ac Exod. XXII. 10.* יהנה שבועה *iusiurandum Dei est, in quo testis ac uindex rei iuratae inuocatur.* A LXX interpretibus ἑβδομος Θεοῦ dicitur. Graeci interpretes uocem שבועה per ἑβδομὸν πληρώσεως uerterunt, ש et ש non caute distinguentes. Aliud enim שבועה *iuramentum*, aliud שבועה uel שבועה *fatietas* est. Miror, quod LVCAS OSIANDER etiam in Bibliis suis uocem שבועה per *septimanas* uerterit, *plenitudinis* uocem, quam Vulgata habet, ad fontes Ebraeos correcturus. Equidem Vulgatae ש pro ש legentis uitium rectissime obseruauit, nihilo tamen fecius שבועה *iusiurandum*, et שבועה *septimanam*, non accurate distinxit. Quamuis enim posterior uox שבועה praeter pluralem שבועים habeat שבועה *Exod. XXXIV. 22. Num XXVII. 26.* ope tamen uocalium, et sub ש, hae duae uoces dilucide a se inuicem distinguuntur. Admittit etiam respectus uocis שבועה ad sequentes uoces וקור et קציר nullatenus septimanae significationem, ac ideam, quia hoc modo obscurissimus esset sensus, et intellectu quam maxime difficillimus. *Quis enim intelligit quid sit septimanas statutorum messis seruat nobis.* Haec uerba nullum plane suggerunt sensum, aut conceptum, quia a fementi usque ad messem septem minime sufficiunt septimanae. Accedit et hoc, quod annua

nua messis in uno, et anno, et loco, temporius, in altero autem ferius, maturescat, prout coeli temperies et tempestates maturitatem frugum aliquot septimanas uel accelerant, uel tardant. Plus omnino temporis requiritur, ad messem procreandam et conseruandam, quam illae septimanae habent. Merito itaque *septimanae notio* uerbi שבעה abiicitur, et iurifiurandi retinetur

g. Interpretum haud pauci, ut NICOLAUS de LIRA, STEPHANVS MENOCHIVS, Critici Anglicani, atque alii, cum HENRICO STARCKIO, *Notarum selectar.* p. 108. שבעה uerbum, per septimanam exponunt, et significationi iurifiurandi quam longissime praeferunt. Septem illas septimanas a Paschatos usque ad Pentecostes festum intelligunt. His duranti- bus, fruges in Palaestina colligebantur. *Leuitic. XIII. 10. 16. Deutron. XVI. 9.* Alii a septenario testium numero iurifiurandum dictum esse, contendunt. Vid. EDVARD. LEIGHII *Critic. sacr. fol. n. 236. lit. b.*

§ III

Nostra ne quidem uox חקוה indigere explicatio-*Vocis חקוה* ne uideatur. Omnes enim, quotquot tantum prima*significatio* linguae sanctae elementa degustarunt, norunt, quod, quoduis *statutum* illa, *decretum*, *definitionem*, *ordinem*, ac *dispositionem superioris*, siue δόγματα, generatim sumpta, significet

§ IIII

Ad uocem קציר autem quod attinet, a uerbo illa *Verbi קציר* קציר *expositio*

קצר *metere*, item *breuem esse*, descendit. Arborum quandoque rami קציר appellantur, *Iob. XVIII. 16. XXVIII. 19. Psalm. LXXX. 2.* Hoc autem in loco, et in aliis plerisque omnibus, *messem*, qua dimetere fructus falce solemus, denotat. In oraculo nostro קוף coniuncta, non frugum solum colligendarum tempus, sed ipsas etiam fruges, ^b omnemque agrorum prouentum, a fementi usque ad maturitatem, ac agriculturae emolumenta, indicat. Qua de re paullo post pluribus dicemus. Erit igitur horum uerborum, קצר שבעת קוף haec uis, haec ratio, sanctissime iurasse Deum, se agri fruges ad statum usque messis tempus, o bonitatem admirabilem, omnibusque literis depraedicandam, fideliter esse conseruaturum

^b Vid. SAL. GLASSIVS *Rhetoric sacr. Lib. V. Tract. C. IIII. Philologiae sacrae edit. BVDDI p. 1400*

§ V

*Disputatio
nis huius
momenta po-
tiora*

Quando IEREMIAS sacrosanctam illam Dei fidem, de conseruando messis, stato tempore, ac ordine, pleno, ut iustum erat, ore laudat, tunc inuestigandum omnino solerter est, ex quonam genere iusiurandum illud fit, qualis messis ordo, qualis eius constitutio, a quonam hanc potissimum datam tempore esse, deprehendamus

§ VI

*Quo nam
tempore san-
cita haec si-*

Simul atque mentis nostrae oculos ad sacrarum literarum pandectas conuertimus, omniaque accurate,
ut

ut decet, perlustramus, NOACHO primum datam hanc *des sit ostenditur* fidem esse, statim intelligimus. Ex arca, in qua huc usque delituerat NOACHVS, egrediens, exstructo hunc in finem altari, gratas Deo acceptasque hostias immolat. Audit huius rei promissionem, et accipit. Perierant misere alii omnes, familiam NOACHI si exceperis, aquis ultricibus merfi, terrae incolae, quod salubres uiri iusti toties admonitiones, impio plane ausu, spreuerant. Vastant per integrum, si rationes accurate contuleris, undae agros annum. ^r Neque ager colli interea, neque expectari messis, potest. Egresso, atque offerrenti sacrificium, de quo supra diximus, NOACHO, hoc responsum a Deo datur. *Non igitur amplius percutiam omnem animam uiuentem, sicut feci. Dum haec terra manet, sementis et messis, frigus et aestus, aestas et hiems, nox et dies, non cessabunt, Gen VIII 21. 22.* Hanc promissionem Deus *Gen VIII 11.* repetit, et foedus cum NOACHO, ac posteris eius, ferit, quod non amplius sit terram deuastaturus aquis, dum ait. *Statuam foedus meum uobiscum, et nequaquam amplius interficietur omnis caro aquis diluuii, neque erit deinceps diluuium uastans terram.* Vt uero hanc promissionem foederalem Dominus omni dubitatione faceret maiorem, signum foederis iridem in coeli nubibus collocauit. *Gen. IX 12. 16. k.* Non expressa quidem iurifiurandi, quo Deus promissionem et ordinem messis constituit, fit hoc in loco mentio, cum tamen sancte omnia

omnia promittentem, quod iurifiurandi nobis instar esse potest, et audimus et sentimus. Haec enim *promissio foederalis* fuit, igitur non caruit fide iurata. Iste messis ordo ad *obiecta foederis* diuini pertinet, quod cum NOACHO pepigit Deus. Foedera autem in V. T. ritu quodam sacro, ac caerimonia, confirmabantur, *Gen. XXI. 23. 24. 27. 31.* Sic promissio foederalis ABRAHAMO facta, nunc *nuda promissio*, *Gen. XII. 3.* nunc *iusiurandum* appellatur, *Gen. XXII. 16. 17. 18.* et promissio terrae Canaan, nunc *promissio foederis*, nunc *iusiurandum* uocatur, *Gen. XVII. 7. 8. L. 24. Exod. XXXIII. 1.* quamuis iurandi formula in promissione illa non legatur, *Gen. XII. 1.* Quanquam promissio diuina plus, quam omne iusiurandum humanum, ualet, nihilo tamen minus Deus in foederibus sancendis, ac promissionibus suis, iuramenta adhibet. Et, quamuis iurandi formula in foedere diuino *Gen. VIII. et IX.* non sit expressa, illud tamen asseuerare firmissime non dubito, istam promissionem, istud foedus, de custodiendo messis ordine, a Deo confirmatum fuisse iureiurando. I. *quia foedera non absque iuramentis sanciebantur.* II. *quod Deus imbecillitatis humanae tunc temporis rationem habens, iridem, ut foederis signum, in aëre collocauit, ex ea re, illum omnem illis dubitandi amplius causam, ingenii enim humani ea esse indoles solet, ut longe maiorem iureiurando, quam promissioni fidem attribuat, adimere uoluisse.*

luisse. III. Ipse Deus hanc NOACHO datam promissionem iusiurandum uocat, dum ait Sicut aquae Noachi istud mihi est, cui *אֲנִי וְאַתָּה* iuravi, quod non amplius aquae sint uastaturae terram, sic etiam iuravi, fore, ut non irascat tibi, neque increpem te. *Es. LIIII. 9.* Sancti eius modi iuramenti, quo ordo omnis messis, atque aetatis frugiferae, nitatur, mentionem IEREMIAS facit. Sancta autem haec constitutio nullibi, quam *Gen. VIII. et VIIII.* inuenitur. Et quamuis de iureiurando diuino ibidem nihil legatur, illud tamen instituto meo plane non aduersatur, quia promissio diuina, ut ostendimus, et iusiurandum boni promissi, in codice sacro quam saepissime unum idemque esse deprehenduntur. Sic *Pf. LXXXVIII. 4. 5. CXXXII. 11.* foederis et iurifiurandi fit mentio. Dauidi filius, et Messias simul, promittitur. Ecquis uero hoc iusiurandum ad *II. Sam. VII. c. 12.* feqq. respicere dubitabit, nullum licet eo in loco eius rei uestigium extet, et *Act. XIII. c. 23. 24.* claris uerbis promissio uocetur

i. Conferas modo, quae *Gen. VII. c. 6.* et *VIII. c. 13. 14.* leguntur, cum antecedentibus, et uidebis, rem prorsus ita se habere, ut diximus

k. B. LUTHERVS noster, in *Commentario in Genesin*, iridem ante diluuium non exiitisse, existimat, dum, *sed mihi contrarium uidetur*, inquit, *quod iris antea nunquam fuerit et nunc primum creata sit. Sentio igitur iridem fuisse nouam creaturam, hactenus mundo non uisam, ut admoneretur mundus de praeterito, cuius iris uestigia ostendit, et confirmaretur etiam*

C

de

de misericordia Dei. ALCVINVS et Glossa Ordinaria LVTHE
RO adstipulantur, et GERHARDVS, una cum GESNERO, in
primis urget, quod iris non sit mere physica, sed *Σαυμαῖστος*
γυζόν quippiam. Dissentiunt autem CORNELIVS a LAPIDE,
alique, ARISTOTELEM *Lib. III, Meteor. c. 4* sequentes,
quia generalis iridis ratio et causa ante diluuium fuit. Neutra
quidem sententia fidei Christianae aduersatur, cui autem poste-
rior arridet, eum sedulo oportet distinguere, inter iridem ra-
tione *essentiae suae*, et ratione *noui additi officii*, et *uerbi diuini*,
consideratam. Ratione *essentiae*, seu *causarum naturalium*,
de iride praedicari potest, quod ante diluuium fuerit, sed
ratione *officii*, post diluuium demum, ut testis et signum diu-
ni foederis, coeperit esse. *Essentia* iridis, et noua *circumstan-*
tia, *essentiae superaddita*, a se inuicem recte distinctae, omnem
hanc litem dirimere facile possunt. Plura de iride suppedi-
tant IO. HEINRIC. HEIDEGGERVS *Hist. Patriarchar.*
Tom. I. Exercitat. XVIII. § XXVII. XXVIII. p. 403.
seqq. H. VVITSIVS *Oeconom. foeder. lib. III. c. VII.*
§ XVII. seqq. p. 687. seqq.

§ VII

*Ad foedus Ie-
remias Noa-
chicum re-
spicit*

Sacrofanctam hanc promissionem, de non perden-
dis amplius terrae fructibus, per diluuii aquas, hoc
foedus religiosum cum NOACHO ictum, habuisse ante
oculos IEREMIAM, dum diceret *שבעה קציר חקוה*
ישמר לבי iusiurandum statutorum messis feruat nobis,
probabile ad modum mihi uiderur. Deleas, uelim,
huius promissionis memoriam, quem nam, quaeso,
sensum horum uerborum, et clarum habebis, et certum.
Inter-

Interpretare, quaeso, si libuerit, remota huius promissionis luce, quid *הקוה קציר* et quid *שבעת הקוה קציר* sit, aut coacta tua, aut obscura ualde, interpretatio erit, nec sensum uatis facile, nec uerborum uim, quam emphasin dicunt, es consecuturus. Omnis, qui sensum Spiritus S. non inferre in oracula, sed efferre studet, absque hoc doctore et lumine *Genes. VIII. 21. 22. VIII. 12. 13.* uix inueniet, quo consistere tuto in loco possit. Quando autem capita haec hac de re confulo, quando promissionem diuinam, de non amplius mutandis anni temporibus per diluuii aquas, audio, quando Deum ipsum, sacrosanctum gratiae foedus cum NOACHO fancientem, uideo, tunc intelligere, uel labore nullo, quod *שבעת* religiosa sit promissio, de cuius dubitare fide mortalium debeat nemo, et sine interprete possum. Tunc *הקוה קציר* mihi ordo ille plane admirabilis, et continua temporum in anno uicissitudo aestatis, et hiemis, sementis, ac messis, noctis ac diei, quem Deus ordinem *ברית יומם ולילה* foedus *diei ac noctis* *והארץ שמים* *הקוה* *statuta coeli et terrae* *Ier. XXXIII. 25.* appellauit, erit. In temporum enim uniuscuiusque anni, ordine, ac uicissitudine, consistunt *הקוה קציר* *statuta, seu dispositio, messis.* Aestas maturitatem frugum promouet, hiems femina, terrae gremio excepta, alit, nutrit, et niue salutariter obtegit. Imo, pars agrorum hiemis tempore sabbata sua agit et quiescit, ut instante uere femina rursus accipere, atque ale-

re, possit. Dies, lumine solari, fegetes fouet, calefacit, ac maturas reddit. Nox incrementa dat fegeti, rores gelidos aurora, ut ait ille, remittit. Sementes facimus caussa messis. Messis totius anni spem, ac hominum et bestiarum alimenta, large suppeditat. Hunc ordinem, haec statuta messis, Deus non amplius diluuii aquis interrumpere uelle, iureiurando sancte promisit

§ VIII

*Causa impul-
sua externa
iureiurandi
Messias*

Causa, ut dicitur, *impulsua externa*, quae Deum mouit, ut perpetuum hanc sementis ac messis ordinem, et temporum uicissitudinem, iureiurando confirmaret, Messias, cruci affigendus, erat. Huius enim mors, et meritum, sacrificio, quod NOACHVS post diluuium obtulit, et praefigurabatur, et fide Patriarchae sacrificantis, apprehendebatur. *Dominus*, inquit diuinus scriptor, MOSES, *odoratus est odorem suauitatis, et dixit ad cor suum. Non amplius maledicam terrae etc. Gen VIII, 21, 22.* Deus itaque delectatur sacrificio Patriarchae, non nidore carniū, quo nec indiget, nec capitur, sed nidore sacrificii CHRISTI, id quod a NOACHO repraesentatum apprehendebatur. Dominus enim, quem Spiritum esse nouimus, in illo crematarum carniū et ossium fumo ריח נוחח *odorem quietis*, qui ipsum ab ira reuocaret, inuenire haud potuit. Sed aliud quippiam longe excellentius sub isto uictimarum cortice delituit, quo ad gratiam et benedictionem fuit
com-

commotus. Omnia enim sacrificia, futurorum umbrae bonorum sunt, uirtutemque placandi Numinis a Messiae morte, cuius figurae ac typi erant, acceperunt. NOACHVS sacrificium offerens, dubio procul Deo, pro mirifica familiae in arca conseruatione, egit gratias, Numenque diuinum piis ardentibusque sollicitauit precibus, ne in posterum tam horribili mundum amplius puniret *παρολεθῆτα*. Has Patriarchae preces sequens diuina indicare data responsio, eamque IOSEPHI, rerum Iudaicarum scriptoris, uidetur confirmare auctoritas. ^l Deus igitur gratum Patriarchae animum, ac ipsius fidem in Messiam intuens, iurat, et sementim se se, ac messem, singulis annis esse fideliter conseruaturum, pollicetur

l Antiqu. Iudaic. Lib. I c. III § VII. p. edit. SIGEBERT. HA
VERCAMPII fol. 16. 17

§ VIII

Recte perquam de diuinis iuramentis TERTVLLI *Deus pro-*
ANVS. *O beatos nos, inquit, quorum caussa iurat Deus. Oprie iurare*
miserrimos, si nec Deo iuranti credimus. ^m Nihilom tamen ^{non potest}
minus Deus immortalis, proprie si loqui uolueris, iurare
non potest, et, si iurat, iusiurandum eius mera *ἀνθεωπο-*
πίθεα, seu metaphora, est, qua id, quod homini com-
petit, ad Deum, per quandam similitudinis speciem, apte
transfertur. Pertinet enim Dei iusiurandum ad *בני דרך*
דמ *niam filiorum hominis*, ⁿ qua Deus nobiscum more
humano agit. Actio uero ipsa *θεοπεπῶς*, seu modo
C 3 Deo

Deo conuenienti, est intelligenda. Occasio et definitio iurisiurandi istud satis aperte eloquitur. Hominum enim post lapsum fides temeraria, fallax, dubia, lubrica, perfida, et plus quam punica, iuramentorum introducendorum hanc potissimum ob causam occasionem suppeditauit, ut, eorum ope, alter alterius animum explorare, deque eius fide, et in promissis, et in pactis seruandis, certus esse queat. *Ebr. VI, 16.* Haec in Deum, qui ueritas, nulla plane ratione quadrant. De eius enim fide ac ueritate dubitare haud licet. Iurisiurandi igitur uera haec definitio erit: *Iurandum est religiosa rei cuiusdam, quae Deo teste, ac periurii uindice, fit, affirmatio.* ° Deo haec iurisiurandi proprie non conuenit definitio. Primo enim fons omnis ueritatis et fidei Deus est. Nae insigniter impius ille, imo blasphemus, esset, qui postulare iurandum a Deo uellet. Deus mortalium nemini quidquam, neque illud, debet, ut ueritatem, et fidem suam, iureiurando declaret. Sicuti enim liberaliter, absque merito nostro, gratiam suam promittit, ita sui semper etiam iuris est, et sponte ad ingenium nostrum se accommodat, quando in uerbo suo dicitur iurare. Denique, in iureiurando diuino deest illud, quod proprie requiritur, et pondus addit ei, alterumque de fide alterius reddit certiore, iudicis nempe iusti pertimescenda uindicta. *p.* Iuramenta igitur diuina, in Scriptura sacra passim obuia, nihil aliud sunt, quam
gra

grauissimae assertiones, ac promissiones, quas quasi necessitas ipsa, et summa hominum incredulitas, ipsi extorsit. Summam hic Numinis *συνατάβαση* ac *con-
descendentiam*, ut hoc uerbo utamur, in iuramentis eiusprehendimus. ^q Hoc certe pollicendi modo, dum ad ingenium humanum se accommodat, omneque dubium ex animis euellit, eorum mirifice imbecillitati succurrit

m Lib. de poenitentia

n MAIMONIDES in opere *Currus* p. m. 129

o CICERO *officiorum* lib. III Iusiurandum *religiosam affirmationem* uocat. s. PUFENDORFIVS hac ratione definit *Est assertio religiosa, qua diuinæ misericordiae renunciamus, aut diuinam poenam in nos deposcimus, nisi uerum dicamus, de officio hominis et ciuis* Lib. I c. XI § 1 p. m. 178. Aliter EVERARDVS OTTO in *Notis* ad h. l. Iusiurandum est *oratio accessoria, prouocans uindictam Dei, tanquam testis et uindictis, si scientes in re principali fallamus.* Aliter rursus GOTTL. TITIVS *observat.* ad Pufendorsum p. m. 86. Iusiurandum est *prouocatio uindictæ diuinæ, sub conditione mendacii aut perfidiæ facta, ubi tamen mendacium aut perfidia non adest.* Aliud liberum, aliud imperatum, iusiurandum est. Liberum offertur, imperatum postulatur

p Vid. r. s. STRYK in *diff. de eo quod iustum est circa iuramenta extra* ind. p. 16. et GLAFEX in *Natur. und Voelker Recht* Lib. III c. VII.

q Multæ etiam promissiones diuinæ pro iuramentis uenduntur, quæ tamen ne quidem iuramenti formam habent. Sic אָנִי אֲנִי aequè ac תִּי נִפְשִׁי תִי iurandi formulæ esse non possunt.
Quando

Quando enim homo, ueritatem asserturus, ad animam suam prouocat, non iudicem, neque uindicem superiorem, inuocat, sed tantum modo similitudinem ueritatis adhibet, ac si dicere ueller *quam uiua est anima mea ac existit, tam certum etiam ac uerum hoc, uel illud est*. Si Deus in promissionibus suis ad uitam suam uerbis **אני ה'א** prouocat, non iudicem, non uindicem, neque ultorem, formula et ritu iurantis inuocat, sed uitae suae certitudinem tantum modo illustrat, ac posteriorem priori assimilat. Hae tamen assertiones diuinae et promissiones per uitam Dei, plus, quam omne iusiurandum humanum ualent. Mihi itaque persuadeo penitus, multa, quae uocantur iuramenta Dei, ad *ἀνθρώπων ὁρκία* istam non pertinere, quia nullam iuramenti speciem ac formam habent, et eos tantum promissionum iudico formulis annumerandas, et *θεοπροσέως* explicandas esse, ubi *ἀποσιώπησις*, seu membrum iuramenti conditionale, uindictis testimonium ac ultionem continet, si iurans studio fallat, reticetur. e. g. 1 Sam III 14. Pj. LXXXVIII 36. Ef. XIII 24. LX 8.

§ X

Deus fidem
suam san-
cte seruat

Sacrofanctum suum iusiurandum Deus huc usque sancte seruauit, stetitque promissis. Id ipsum IEREMIAS grauiori argumento, uoce in primis **ישמר** Iudaeis demonstrat. En uerba eius: **שמעתה הקות קציר שבעת המזות** *iuramentum statutorum messis custodit nobis*. Verbi **שמר** haec propria uis est, ut significet *custodire, seruare, conseruare, asseruare, reponere*, **שמר** ait LEIGHI vs, est *obseruare, custodire, connotare curam*,
foli

solicitudinem, et diligentiam, nequid elabatur, excutitur. Vfurpatur de rebus pretii maximi, quae fidei cuiusdam et curae traduntur. Versio Graeca *שמר* per *Φυλάττειν* recte exponit. Deus pretiosissimam hanc messis promissionem in Iudaeorum gratiam fideliter custodiuerat ac impleuerat. Deprehendimus itaque, in hoc effato prophetico, prouidentiae diuinae circa res humanas specimen illustre. Deus enim prouidam omnium rerum curam agit. Est totius uniuersi sapientissimus moderator, qui uniuersalem terrae deuastationem benigne auerruncat, uicissitudines temporum in anno, ut sementis, et messis fieri, hominesque ali queant, conseruat. Prouidae huius curae fons, bonitas diuina, sacrosanctaque promissio, est. Brachium autem eius, cuius immensum robur, hanc promissionem exequitur. PAVLLVS, hanc promissionis diuinae fidem eleganter inter gentes praedicat, ac edisserit, dum ait *Οὐκ ἀμέγεθρον ἑαυτὸν ἀφῆκεν ἀγαθοποιῶν, οὐρανὸθεν ὑμῖν νετὸς διδοὺς καὶ καρπὸς καρποφόρους, ἐμπιπλῶν, τροφῆς καὶ εὐφροσύνης τὰς καρδίας ἡμῶν. Act. XIII. u. 17.* Interdum quidem in hac, uel illa regione, annonae caritas homines uexat, aquae agros inundant, et fruges pessumdant, locustae segetes deuorant, aut nimius solis calor rura et arua exurit, inde spes frustratur homines, ut uel nullam plane, uel exiguam saltem, habeant messem. Haec autem agrorum sterilitas nihil impedit, quo minus fides iurifiurandi, ac promissionis diuinae, maneat salua.

D

Deus

Deus enim uniuersalem terrae deuastationem auertere, et temporum uicissitudines in anno conferuare, iurato promiserat, ita, ut promissio diuina ad uniuersam mundi terram generatim dirigatur. Ista autem agrorum sterilitas fit tantum in particulari, et Deus interdum, ob peruersos hominum mores, ac scelestissimam uitam, ordinariam messis legem, ac statutum, suspendere cogitur, ut, prauitatis poenam lucentes, ad meliorem redeant frugem. Idem IEREMIAS Iudaeis aperte ostendit, quod ob ipsorum peccata, agri eorum interdum steriles manserint, statim fide iurificandi diuini enarrata *u' 25*. *Iniquitates autem, inquit, uestrae, auerterunt haec, beneficia, et peccata uestra prohibuerunt, ad tempus, haec bona, messis et sementis, a uobis.* Eandem quoque non raro alii uates diuini reliquis Israelitis, poenam minati sunt. *Ez' XXIII' 4. 6. Hof' VIII' 7. Hagg' I'* Qui autem inedia perierunt, sua culpa perierunt. Stat ea ratione in fide Deus. Salua eius promissionis gloria est, salua quoque in aeternum manebit. Fides igitur iurificandi diuini nihil aliud est, quam *ueritas et constantia Dei in promissis.* Haec fidei notio optimis latinis auctoribus trita fatis, atque usitata itidem ac fidelitas, est. Verbum hoc inde deductum esse opinatur CICERO, *quod fiat id, quod est dictum*. Hanc fidei notionem etiam Scriptores sacri de de Deo adhibent. *Rom' III, 3* et *Deus fidei, est Deus fidelis, ac uerax. Deutr' XXXII, 4*

r. L. a. fol. 251

5. De officiis Lib. I. c. 7. Fundamentum est autem iustitiae fides, id est, dictorum, conentorumque constantia et ueritas, ex quo, quamquam hoc uidebitur fortasse cuiusdam durius, tamen audeamus imitari Stoicos, qui studiose exquirunt, unde uerba sint ducta, credamusque, quia fiat, quod dictum est, appellatam fidem

§ XI

Ecquis igitur de fide, ac ueritate diuina, in promissis seruandis dubitabit. Ens Summum, Ens Optimum, est quoque Ens Veridicum, summa fide praestans id, quod pollicetur. Ideo Deus dicitur *ἀληθής* Rom. III. 4. *ἀψευδής* Tit. I. 2. *אֱמֶת הַשֵּׁמֶר* Ps. CXLVI. 6. Nomina ista, insignia fidei diuinæ in promissis seruandis testimonia, et documenta, sunt, animosque nostros, plusquam dici potest, solantur, ac nosmetipsos certiores reddunt, fore, ut Deus ui promissionis, ac bonitatis suae, non solum animae, sed corpori etiam, necessaria sit suppeditaturus alimenta. Nonne id ipsum Dominus benigne promisit. Psalm. CXXXII. 15. enim ait. *אֲבִינִיךָ אֲשִׁיב לֶחֶם צִדָּה בָּרֶךְ אֲבִינִיךָ* Viatico eius omnino benedicam, egenos eius saturabo pane. Non male itaque B. LUTHERVS uerba contextus prophetici sic uerit. *Lasset uns den HErrn unsern GOTT fürchten, der uns die Erndte treulich und iaebrlich behütet.* Vocibus enim *treulich* et *iaebrlich*, non solum ad fidei diuinæ constantiam in promissis seruandis, sed

D 2

etiam

etiam ad promissionem NOACHO, et posteris eius, factam, de conferuando messis ordine, alluisse Beatus Vir omnino uidetur

r. Haec uerba LVTHERVS sic uertit: *ich will ihre Speise seegnen, und ihren Armen Brodts genung geben.* צִידָה et צִידָה proprie non cibum, sed *uiaticum*, significant, *Neh. XIII 15. Gen. XLII 25. Ios. I 11* et uerbum צִידָה praeter uenandi significationem, etiam ad comparationem uiatici respicit. *Ios. VIII 12* Hoc ipso autem uiatico monemur, nos peregrinatores, ac uiatores, esse in hoc mundo, et nil, praeter necessaria uitae, ac uiae alimenta, a Deo desiderare debere

CAPVT II

DE

MODO ATQVE ADIUMENTIS QUIBVS
FIDEM IVRISIVRANDI ET PROMISSIO
NIS HVIVS SERuat DEVS

§ I

De conferuandae messis adiumentis, siue mediis
Non sacrosanctam iurisiurandi diuini fidem solum, summis iustissimisque laudibus, fidelemque messis conferuationem, diuinus uares euehit, sed, quonam id modo, quibus consiliis, ac rebus, factum, effectumque sit, luculenter commonstrat. Fieri autem id pluuiam, a Deo profecta, asseuerat. Deus est הַבְּרִיָּה לַיָּם *largiens pluuias.* Vox גֶּשֶׁם *pluuiam* generatim, nulla habita ueris, aestatis, autumnis, et hiemis, ratione, significat. *Zach. X, 1.* Et quando גֶּשֶׁם per accentum distinctiuum, a sequenti uoce distinguitur, pluuiam

uia, ut *medium generale*, conseruandi messis ordinem, considerantur. Pluuiæ enim et imbres agros rigare salubriter, ut terra herbascentem ex femine uiriditatem elicere quæat, utque fruges in herbis ac culmis crescant, ac consequantur maturitatem, solent. Calor solis, ac radii solares, omnem humorem et arua penitus exurere, nisi nubes funderent pluuias, quibus agrorum siccitas temperatur et fruges recreantur. Quando itaque, exhalatis terræ ac maris præfertim uaporibus, nebulae in terram desluunt, quando coguntur in coelo nubes, ac pluuiæ dies minantur, quando nimbis, de coelo magno aquarum strepitu largiter delabentibus

Intonuere poli, et crebris micat ignibus aether,
tunc Deus, huius uniuersi moderator sapientissimus, iurisiurandi sui memor, fidem suam præstat, messem in herba, ut ait ille, benigne conseruat, et, ut rato fieri tempore possit, fideliter procurat. Quam etiam ob rem DAVIDES pluuias, ut beneficium Dei ingens, et amplificandæ messis adiumentum præstantissimum, laudat, *Pf. LXV. 10. 11. 12. 13. 14.* Ipsa etiam experientia, optima uitæ magistra, edocemur, nihil quidem frugibus salutarius pluuiis tempestiuis, nihil inimicum magis continua siccitate esse. Quotiescunque temeritatis suæ, atque impietatis, sustinere poenas Israelitæ debebant, agrorum sterilitate puniebantur. Vnde autem illa. Ex pluuiæ penuria. Audiamus

modo ELIAM, grauiter in populum immorigerum inuehentem. *Viuit, inquit, Dominus Deus Israel, in cuius conspetu sto, si erit annis his ros et pluuia, 1 Reg. XVII 1. Conf. Leuitic. XXVI 19. Deut. XI 17. Ierem 3*

§ II

De pluuiae
matutinae
et serotinae
uirtute.

Quem ad modum autem non quaeuis pluuia, quouis modo, aut tempore, effusa, fementis frugum, quae maxima largitate terra fundit, causa est, ordo enim, tempus, ac modus, naturae plerumque inferuiunt, ita etiam IEREMIAS prouidam Dei curam, quae pluuias dat, certum sequi ordinem, affirmat, quando speciatim *יורה ומלקוש* *pluuiae matutinae et serotinae, in tempore suo*, meminit. Huc etiam IACOBVS spectare uidetur, quando agricolam *ὄρνεν προσβιασεν ἢ ἔψιμον* praestolari dicit. *Iac. V. 7.* Pluuia matutina et serotina speciatim, ut causa messis *organica*, hic consideratur. His enim pluuiis, Deus, iusto, ac opportuno tempore, agros irrigat, hacque ratione messem, et frugum maturitatem, mirifice auget atque accelerat. Vox *יורה*, uiri Keri legit, quia *ו יורה* circello Masorethico teste, hoc loco abundat, a *מלקוש* omnino differt. Etenim *יורה* pluuia tempestiua et autumnalis, quae prodesse collectis et maturis iam frugibus, nihil potest, appellatur, ac si terram inforformet ueluti, ac erudiat, ad accipiendos producendosque satus. At *מלקוש* est *pluuia serotina*, mensis Maii, quae messem antecedit, et agricolae alit spem, *u* haec quasi

quasi *collectionis pluvia*, quae efficit, ut colligantur fruges. ^x Seminibus, gremio terrae concreditis, si germinare, si herbescere, si peruenire ad maturitatem suam debent, opus quam maxime pluuia est. Pendet igitur ex pluuiae beneficio spes omnis messis, ac frumenti ubertas. Hoc igitur nobis mirum non uidetur, quod pluuia maturina et ferotina, in messis, hominumque omnium parata sit usus

^u Vid. PETR. VAN MYSSCHENBROEK Element. Physicor. c. XXXVIII § 904. p. 433. *pluuia uerna*, inquit *fermentatoni apta prae aliis*. Et editionis franco Gallicanae § 1548. p. 788. et, de pluuiae usu El. § 911. p. 436. edit. F. G. 1566. p. 798

^x Talmudici in *Codic. Taanith. c. i. fol. 6.* ita de harum uocum discrimine differunt. Pluuia יורה ipsis est pluuia mensis Octobris, descendens lente, non turbulenter, sensim erudiens terram ad acceptum semen producendum, sicut homo imbuat discipulum suum, doctrinam ipsi instillando. At מלקוש secundum Talmudicos, est pluuia mensis Maii, sic dicta, quod sit מל קשין *excindens segetes*, eas scilicet maturando, ut demetantur. Inde etiam לקש herba ferotina adpellatur, seu granum ferotinum, post primam sectionem recrefcens. *Amos. VII. r.* Dubito tamen ualde, num istud Talmudicorum discrimen sit omni exceptione maius. Etenim *Hof. VI. 3.* etiam ירה *erudire* de מלקוש praedicatur, quod scilicet terram erudiat et *Zach. X. r.* uox מלקוש tempus significare uidetur, quia monentur Iudaei, ut petant a Domino מטר *pluuiam* בשה מלקוש *circa tempus collectionis*, seu messis, et quia aliud pluuiiae

pluuiæ uocabulum plerumque his duabus uocibus præmittitur, inde colligo, quod יורה et מלקוש non per se pluuiam ferotinam et matutinam significant, sed tantum indicent tempus, quo pluuiæ immittitur, nempe tempus sementis et messis. *Deutr. XI 14*

§ III

Opportuno tempore pluuias dat Deus

Iam uero et tempus huius pluuiæ, בעתו, opportunum, ad summa gratiæ diuinæ IEREMIAS beneficia refert. Sicuti in aliis rebus tempus magnas faepe opportunitates habet, ita etiam non quæuis pluuiæ sementi ac frugibus prodest, sed, quæ recto terram tempore, ac debito ordine, rigat. Magna est ordinis uis, dignitas, et pulchritudo. Hoc prouidentiae diuinæ insigne ad modum testimonium est, quæ non solum rebus prouidet humanis, sed sapienter etiam prouidet, et tempori quasi inferuit. Terra fruges fundit. Hoc fit pluuiæ opportunissime datae ope. Hæc autem in agris, tempore messis, copiae, hominum causa, inueniuntur

§ IIII

Iurisiurandi diuini fidem tollere homines profani e medio student

Profanas illas Atheorum linguas, ac petulantes, quæ prouidam Dei curam, et iurisiurandi fidem, o homines ingrati impios, uanae ac credulae plebis idolum uocant, comprimit IEREMIAS, atque obrundit. Temporum enim maturitates, et uarietates, et mutationes, et constitutus semel sapientissime messis ordo, esse Deum, esse prouidentiam diuinam, magna et clara id

id uoce, ut exaudire omnes possint, loquuntur. ^v Sunt, qui parum res humanas, naturam diuinam curare, perhibent. Sunt, qui fato fieri omnia conferte contexteque, et colligatione quadam naturali, praetexunt. Improba haec PLINII UOX. *Irridendum, agere curam rerum humanarum illud, quidquid est summum. Anne tam tristi atque multiplici ministerio non pollui credamus.* ^z Haec ille. Epicureorum certe Deus, nihil agit, nullis occupationibus est implicatus, nulla opera molitur, sua tantum modo sapientia et uirtute gaudet. Stoicorum Deus perpetua quaedam atque aeterna naturae uis, et rerum futurarum, ueritas est. ^a Horum insipientiam, ipse male sanus BENEDICTVS SPINOZA, imitatur. Is enim, caussarum sempiternam seriem dum introducere studet, Deum suum, libera uoluntate spoliatum, fati deuincit necessitati. ^b Ex eodem fonte hominis insanissimi, EDELMANNI, deliratio incredibilis paene, fluxit. Vesani eius modi plures, ac temerarii, imo furiosi, homines, uel, quod dolendum maxime, inter Christianos inueniuntur, qui prouidentiam Dei reddere dubiam, sanctissimamque religionem animibus suis, de aeterna rerum fatali, atque immutabili, colligatione, fabulis, ut ludibrio aliis sit, deiicere de gradu suo temere et stolide audent. Θεωμάχους, stultos illos, ac bardos homines, si dixeris, et gigantum ueterum similes, recte dixeris. ^c Ite, quaeso, contemplemini, si oculis modo atque animis uidere potestis, messem, e-

E iuf-

iusque ordinem, plane admirabilem, contrectetis, uelim, mente, astrorum cursus, mutationes temporum, rerum uicissitudines, atque ordines, ecquis ille est, qui regit haec omnia et conseruat, qui commoda hominum uitasque tuetur. Nonne Deus pluuiae pater. Audias ipsum, te, hac de re interrogantem. *Quis dedit uehementissimo imbri cursum, et uiam sonantis tonitruui, ut plueret super terram, absque homine in deserto, ubi nullus mortalium commoratur, ut impleret inuiam et desolatam, et produceret herbas uirentes. Quis est pluuiae pater, uel quis genuit stillas roris.* ^d Eodem ferme argumentorum genere Paulus in demonstranda prouidentia diuina utitur. *Act. XIII. 17.* Pluuiae, uitis hominum a Deo confuli et prouideri, apertissime testantur. Messis ordo, ratione diuina omnem mundum administrari, et regi, dubitare neminem, nisi fatuum, atque amentem, finit. Vbi ordo, isque sapientissimus, et constantissimus, ibi ordinis auctor. Fieri enim, ut ordo sit, et non causa, ordinem efficiens, nulla prorsus ratione, ac uia potest. Aliter si esset, uerum illud, fieri aliquid sine causa posse, esset. Pluuiae igitur matutinae et serotinae, messisque stabilis ordo ac firmus,

Auctorem frugum, tempestatumque potentem Deum esse, uniuersos homines testimoniiis suis conuincunt.

γ Praeclare NEMESIUS ὅτι ἐστὶ πρόνοια διὰ τῶν αὐτῶν ἂν τις ἐπιδείξειε δι' ὧν ὅτι καὶ θεὸς ἐστὶν εἰδείξαμεν. *Prouidentiam esse*

- se, iisdem rationibus quis ostendat, quibus Deum esse probauimus.*
 De Nar hom c XXXXII p m 160
 z. *Histor. Mundi* edit. IACOBI DALECHAMPPI lib II c VII
 p 62
 a. Videatur, ne alios nunc auctores, huius rei gratia, laudemus, IO-
 FRANC' BVDDEVS *Thef. de Atheismo et Superstitione* § XVIII
 p m 36 et p 48 in notis
 b. In *Ethica, propositione XXVIII*
 c. De gigantibus, si fabula uera, uideatur OVIDIVS *Lib. V. Fa-*
storum, et HOMERVS *Odyss. l*
 d. *Iobi* c XXXVIII c 25 26 27 28
 e. OCTAVIVS, ueritatis huius uindex celeberrimus, impium CAE-
 CILIVM seuere coercet. Dignus est, qui audiarur ipse. *Sacri-*
legii, inquit, uel maximi instar est, humi quaerere, quod in su-
blimi debeat inuenire. Quo magis mihi uidentur, qui hunc mun-
di totius ornatum non diuina ratione perfectum uolunt, sed
frustis quibusdam temere cohaerentibus conglobatum, mentem,
sensum, oculos denique ipsos, non habere. Quid enim esse potest
tam apertum, tam confessum, tamque perspicuum, cum oculos
in coelum sustuleris, et quae sunt infra circaque lustraueris,
quam esse aliquod Numen praestantissimae mentis, quo omnis
natura inspiretur, moueatur, alatur, gubernetur. Caelum ipsum
uide, quam late tenditur, quam rapide uoluitur, uel quod in no-
ctem astris distinguitur, uel quod in diem sole lustratur, iam scies,
quam sit in eo summi moderatores, mira et diuina libratio.
Vide et annum, ut solis ambitus faciat, et mensem uide, ut lu-
na auctu, senio, labore circumagat. Et paullo post. Cum
ordo temporum ac frugum stabili uarietate distinguitur, non-
ne auctorem suum parentemque testatur. Ver aequo cum suis
floribus, et aestas cum suis messibus, et autumnus maturitas gra-
ta, et hiberna oliuitas necessaria, qui ordo facile turbaretur,

nisi maxima ratione consisteret. Et iterum. *Quodsi ingressus aliquam domum, omnia exulta, disposita, ornata, uidiſſes, utique praeſſe ei crederes dominum, et illis bonis rebus multo eſſe meliorem, ita in hac mundi domo, cum coelum et terramque perſpicias, prouidentiam, ordinem, legem, crede eſſe uniuersitatis dominum parentemque ipsis ſideribus et totius mundi partibus pulchriorem.* C. MINVCII FELICIS c. XVII. et XVIII. edit IACOBI GRONOVII p. 150. ſeqq. 163. ſeqq. Praeclare omnino OCTAVIVS diſputat. Ordo enim et rerum omnium ſapientiffima conſtitutio, non poteſt niſi a ſapientiffimo, in quo ſumma ineſt intelligentia, ac ratio, uel expectari, uel proficiſci

§ V

*Esſe Deum,
proui-
dentia e-
ius et re-
rum ordo
demon-
ſtrat*

Suo igitur merito eiufmodi homines, qui diuinam inficiantur prouidentiam, et Epicureis annumerandi, et Atheis, erunt. Epicurus enim, diuinam naturam eſſe, ita concedere ſolitus eſt, ut potius negare eam uideretur, dum Deos *monogrammos*, et nihil agentes, commentus eſt. *f* Atro hanc ob cauſſam ipſum COTTA carbone notauit. *g* Scurrili ſane Deum ratione definiuit, quando, ſecundum ipſius opinionem, *hominis eſſe ſpecie Deos conſtitendum eſt. Nec tamen ea ſpecies corpus eſt, ſed quaſi corpus, nec habet ſanguinem, ſed quaſi ſanguinem.* *b* Fabrica mundi pulcherrima, ſiderum curſus, in orbes ſuos, conſtantiffimus, ordo rerum omnium plane admirabilis, eſſe ſupremum aliquod Numen, cuius omnia in hoc uniuerſo ſapientia et potentia regantur, priſcos dubitare gentium Philoſophos non ſuerunt. *Poſtea*, de Philoſophis loquitur

TVLLIUS

TULLIVS, inquit, *cum uidissent motus mundi finitos et aequabiles, omniaque ratis ordinibus moderata, immutabilique constantia, intelligere inesse aliquem non solum habitatorem in hac coelesti ac diuina domo, sed etiam rectorem et moderatorem, et tanquam architectum tanti operis.* ^v Veritatis haec uis excellentem hanc ipsi porro confessionem extorsit. *Quae qui uideat, non indocte solum, uerum impie faciat, si Deos esse, neget. Nec sane multum interest, utrum id neget, an eos omni procuratione ac actione priuet. Mihi enim, qui nihil agit, esse omnino non uidetur. Esse igitur Deos, ita perspicuum est, ut id qui neget, uix eum sanae mentis existimem.* ^k Constantissimus, profecto, mundi ordo, hanc homini, a luce ueritatis patefactae longe remotissimo, argumentandi occasionem dedit, qui alio etiam loco, *in mundo Deus inest, inquit, aliquis, qui regit, qui gubernat, qui cursum astrorum, qui mutationes temporum, rerum uicissitudines ordinesque conseruat, terras et maria contemplan, hominum commoda uitasque tuetur.* ^l Rerum coelestium et terrestrium admiratio, contemplatioque, usque eo huius oratoris, ac philosophi, animum occupauerunt, ut non posset non, esse Deum, esse prouidentiam, fateri ingenue et profiteri. *Dico igitur, sic rursus ille, prouidentia Deorum mundum et omnes mundi partes, et initio constitutas esse, et omni tempore administrari.* ^m Quid de harum rerum, quam praestant humano generi, uti-

litate, quid de beneficiis illis summis, quibus a bonitate diuina fruuntur, dicamus. Introducit ipse TULLIVS chorum philosophorum priscorum Graecorum longe honestissimum, egregie de hac re ratiocinantem. *Quid enim, ait, magnam utilitatem generi afferret humano, id non sine diuina bonitate erga homines fieri arbitrabantur.* Et paullo post. *Sed ipse Iuppiter, id est iuuans pater, quem conuersis casibus appellamus a iuuando Iouem, a Poetis pater diuumque hominumque dicitur, a maioribus autem nostris OPTIMVS MAXIMVS, et quidem ante Optimus, id est, beneficentissimus, quam MAXIMVS, quia maius est, certeque gratius, prodesse omnibus, quam opes magnas habere.* Recte igitur in eo philosophatur COTTA, dum ait, atque hoc quidem omnes mortales sic habent, externas commoditates, uineta, segetes, oliueta, ubertatem frugum et fructuum, omnem denique commoditatem prosperitatemque uitae a Diis se habere. Fruges igitur terrae, fructusque eius uberrimi, esse Deum, esse prouidentiam, conscientia conuicerunt philosophos gentium, ac testimoniis. Et si homo, ratione praeditus, sui corporis fabricam contemplatur, testem, omni exceptione maiorem, de Deo, eiusque prouidentia, habebit. Sic enim CICERO, fabricam humani corporis, et partium omnium excellentem conformationem, beneficiumque illud animi et rationis, considerans, ad hanc prouidentiam naturae, ait, tam diligentem, tamque solertem, adiungi multa possunt, e quibus

quibus intelligatur, quanta res hominibus a Deo, quamque eximia tributae sint. Quae primum eos humo excitatos celfos et erectos constituit, ut Deorum cognitionem, coelum intuentes, capere possent. Sunt enim terrae homines, non, ut incolae, atque habitatores, sed quasi spectatores, superarum rerum atque coelestium.^v Audiant itaque eius modi homines Epicurei, in simulatione religionis Christianae latentis, hos philosophos, et illud ex iis, hominem, sana praeditum mente et ratione, neque Deum esse, neque rebus eum providere humanis, negare posse, sunt audituri. Aspiciant oculis apertis, si modo talpis caeciores non sint, omnem, qua patet, mundum spectabilem, cursus astrorum prorsus admirabiles, totque rerum, a se maxime diuersarum, ordines, et dicant mihi, uelim, a quo constituta haec omnia tam pulchre, tamque sapienter, sint. Quotiescunque statuam uides, atque imaginem, toties de opifice statim et pictore cogitabis. Miramne posse hanc mundi constructionem, et laetissimam agrorum ubertatem, esse sine architecto, atque auctore, tute tibi persuades. O laeues homunculos, ex argilla et luto confictos, qui artificium artifice, beneficium largitore, ordinem ordinante, priuare conantur. Cadit in eos, qui magno impioque conatu contra Deum, eiusque prouidentiam disputant, ZO PHARIS illud de homine audaci ac temerario pronunciatum *Iob. XI. 12*

f. *De natura Deorum lib. II* edit. GOTHOFREDI TOMI, IIII
Tom



p. 307. lit. a. *Μορόγαμμος* est quasi delineatus tantum, non additis iis, quae rectam picturam absoluunt, diciturque de macilento, extenuato ac deformi. Vid. CAEL. RHODIGINIVS Lectionum c. XV IIII

g. *Verius est igitur, inquit, illud nimirum, quod familiaris omnium nostrum Possidonius disseruit in libro quinto de natura Deorum, nullos esse Deos Epicuro uideri, quacque is de Diis immortalibus dixerit, inuidiae detestandae gratia dixisse, neque enim tam desipiens fuisset, ut homunculis similem Deum fingeret, lineamentis duntaxat extremis, non habitu solido, membris praeditum hominis omnibus, usu membrorum ne minimo quidem, exilem quandam atque perlucidum, nihil cuique tribuentem, nihil gratificantem, omnino nihil curantem etc. Lib. de Natura Deor. I. Et idem COTTA lib. III. Quia mihi uidetur Epicurus uester de Diis immortalibus non magnopere pugnare, tantum modo negare Deos esse non audet, ne quid inuidiae subeat aut criminis. Cum uero Deos nihil agere, nihil curare confirmat, membrisque humanis esse praeditos, sed eorum membrorum usum nullum habere, ludere uidetur, satisque putare, si dixerit, esse quandam naturam beatam et aeternam. CICERO Epicuri de Deo sententiam exponens, Deos enim ipsos, ait, iocandi causa induxit Epicurus perlucidos et perstabiles et habitantes tanquam inter duos lucos, sic inter duos mundos, propter metum ruinarum, eosque habere putat eadem membra, quae nos, nec ullum usum habere membrorum. Ergo is circuitione quadam Deos tollens, recte non dubitat diuinationem tollere. lib. de Diuin. II. Et, quando Epicuri sententiam, mundum fortuito quodam atomorum concursu esse effectum, exponere risui aliorum et refellere uult, egregie sane philosphatur. Mundum efficit, inquit, ornatisimum et pulcherrimum ex eorum corporum concu-*

cursione fortuita. Hoc qui existimat fieri potuisse, non intelligo, cur non idem putet, si innumerabiles unius et uiginti formae literarum, uel aureae, uel qualeslibet, aliquo coniciantur, posse ex his, in terram excussis, annales Ennii, ut deinceps legi possint, effici. Quod, nescio, an in uno quidem uersu possit tantum ualere fortuna. Isti autem, quem ad modum asseuerant, ex corpusculis non colore, non qualitate aliqua, quam *πρωτότυπα* Graeci uocant, non sensu praeditis, sed concurrentibus temere, atque casu mundum esse perfectum, uel innumerabiles potius in omni puncto temporis alios nasci, alios interire. Quod, si mundum efficere potest concursus atomorum, cur porticum, cur templum, cur domum, cur urbem, non potest. Quae sunt minus operosa, et multo quidem faciliora. Certe ita temere de mundo effutiunt, ut mihi quidem nunquam hunc admirabilem coeli ornatum, qui locus est proximus, suspexisse uideantur. Praeclare ergo ARISTOTELES. Si essent, inquit, qui sub terra semper habitauissent, bonis et illustribus domiciliis, quae essent ornata signis atque picturis, instructaque rebus iis omnibus, quibus abundant hi, qui beati putantur, nec tamen exissent unquam supra terram, accepissent autem fama, et auditione, esse quoddam Numen et uim Deorum, deinde aliquo tempore, patefactis terrae faucibus, ex illis abditis sedibus euadere in haec loca, quae nos incolimus, atque exire potuissent, cum repente terram, et maria, coelumque uidissent, nubium magnitudinem, uentorumque uim cognouissent, aspexissentque solem, eiusque tum magnitudinem, pulchritudinemque, tum etiam efficientiam cognouissent, quod is diem efficeret toto coelo luce diffusa. Cum autem terras nox occupasset, tum coelum totum cernerent astris distinctum, et ornatum, lunaeque, luminum uarietatem tum crescentis, tum

F

senescen-

senescens, eorumque omnium ortus, atque occasus, atque in omni aeternitate ratos, immutabilesque cursus, haec cum uiderent, profecto et esse Deos, et haec tanta opera Deorum esse, arbitrantur. Atque haec quidem ille. Sed assiduitate quotidiana, et consuetudine oculorum, assuescunt animi, neque admirantur, neque requirunt rationes earum rerum, quas semper uident, perinde, quasi nouitas nos magis, quam magnitudo rerum, debeat ad exquirendas causas excitare. h ibid. lib. I p. 28. i. ibid. Lib. II. p. 314. k. ibid. l. lib. I. p. 282. m. ibid. lib. I. n. ibid. lib. II. o. ibid. lib. III. p. ibid. lib. II.

§ VI

*Pluuias
quando dat,
et non dat,
conuenienter
finibus suis
agit.*

Sapientissimus quandoque rerum humanarum moderator, DEVS, in hoc, uel illo loco, ut supra iam disputauimus, ordinis quidem sui legem de pluuiis, statoque sementis, messisque tempore, suspendere solet, tantum tamen abest, ut prouidentiae suae agnitionem hac uia infirmet, ut confirmet potius eam, atque illustret. In nubes se coelum saepius induit, et frustra tamen pluuias homines, atque agri exsiccati, efflagitant. At Deus hoc modo pluuias eminus, et ueluti e longinquo, nobis ostendit, sed non confestim largitur, ut nos admoneat, in ipsius manu, potestateque, omnem et dandi pluuias, et non dandi, positam facultatem esse. Deus enim pluuias interdum differt, et ueluti procrastinat, nulla alia commotus ratione, quam ut beneficentiam tantam pie agnoscamus, agnitam auide desideremus, desideratam iuste exoremus, exorataeque, gratis, ut par est, animis ueneremur. Habet *singularia* quidem sua, in spicis uberibus et crebris, uel raris

raris et parcis, Deus. Cum agere autem aliter, nisi conuenienter finibus, atque naturae suae excellenti, non possit, sapienter semper et egisse eum, et agere uelle, cognoscimus

q Videatur omnino GYLIELM' SCHERLOCKIUS *Traité sur la providence. c. III*

r. Frugum ubertatem, quod nutu tamen diuino, et consilio, factum esse, intelligimus, messisque largiorem spem, pluiarum, hoc anno, copia perdidit et multitudo

CAPVT III

DE

TIMORE QVO HOMINES DEVM OB IV RISIVRANDI FIDEM HONORARE PIE AC VENERARI DEBENT

§ I

Quem ad modum Deus, omnis boni fons, feminator, ac parens, nobis, nihil tale merentibus, messis ordinem, semel constitutum, fideliter, in hunc usque diem, conseruat, ita, non aliam, tantorum beneficiorum remunerationem, quam quidem amoris, timoris, uenerationisque, a nobis poscit. Hae sunt grates illae, quas habere ipsi, quas persoluere, debemus. Excitat ad has, pie offerendas, Iudaeos, aliosque homines omnes, IEREMIAS. Audiatis, amabo uos, ipsum, more suo, grauiter omnes ad huius cultus officium adhortantem

Deus pie uenerandus propter inrisiurandi de conseruando messis ordine fidei.

timeamus, quae so,

Domi-

Dominum Deum nostrum. Causſa autem et ratio, ob quam timendus Deus, haec eſt: *quia pluuiam et matutinam et ſerotinam largitur in tempore ſuo, et iuramentum ſtatutorum meſſis ſeruat.* Pluuiæ igitur, et ſuo tempore, et largiter datae, meſſis itidem conſeruata fideliter ubertas, in eam nos, ut *timeamus Dominum*, impellere mentem debet

s. Obſecrantis, atque obteſtantis, particula *ND* eſt. LXX uertunt per *di, ſane, iam etiam, igitur*, quæ uox, ut uult GAZA, urgendi uim, poteſtatemque, habet. Vulgata eius interpretationem neglexerunt. VATABLVVS, per *ſaltim*, MONTANVS per *nunc*, LVTHERVS aptius, per *doch*, reddidit. Obſecrat Deus Iudæos, ut tandem aliquando, ſpretis admonitionibus aliis, atque adhortationibus, attendere minimum ad meſſis ordinem, atque auctorem, animos uellent. Plura, de huius particulae ui, ac uirtute, dabunt CHRISTIANVS NOLDIVS, *Concordant. Particular. Ebraeo-Chaldaicarum* p. 652. et not. 169r. 1692. p. 1044. GLASSIYS *Tract. VIII. Philolog.* p. 137.

§ II

Timor Domini explicatur

Varii timoris fontes, uaria eius genera, ſunt. Ille enim ex uitæ, uel bene, uel male, actæ, conſcientia, hic autem, ex amore in Deum, oritur. Ille premit animos, torquet, atque angit, hic bono ſuos eſſe animo iubet. Ille, de uita, de nulla hic re, metuit. Ille ſeruatorum, hic liberorum, eſt. Ille fugit Deum, ut iudicem, in ſe crudelem, hic exoſculatur illum, ut patrem benigniſſimum, et colit. Nos enim, cum uate noſtro,
per

per *Dei timorem*, hic nihil aliud, quam eius *cultum*, intelligimus. Modo autem timor, de quo loquimur, *omnem Dei cultum*, modo autem eum, qui *primi praecepti* est, suo complecti ambitu solet. Quod, si oratione breuiter, quid timor Dei sit, explicare studueris, hanc fere definitionem habebis: *Timor Dei, illud mentis piae, uiuendi conuenienter eius uoluntati, studium est.* Qui ipsi, quem desiderat, cultum exhibet, qui leges eius dies noctesque probe obseruat, qui ea, quae grata ipsi sunt, peragit, quae autem minus grata sunt, intermittit, ille recte Deum timet. Verus igitur Dei timor non initium, non prima ueluti sapientiae linea, sed *ראשית חוכמה* caput, et praecipua sapientiae pars, utramque faciens paginam, uocatur. Nam illud, quod est praestantissimum, saepius et *primum*, in scriptura sacra appellatur. *Numer. XXIIII. 20. Amos VI. 1. 6.* Speciatim autem timor Domini, *primi praecepti uirtus est, qua homo, in gratiam reconciliatus cum Deo, in omni dicto, facto, et cogitato, imperio Dei liberrime se subiicit, et, ut filius, ad nutum patris, tam sancti, tam beneuoli, totum se, omni in uitae actione, praesens enim ubique est, fingit.* Nullus uerus esse, sine huius praecepti obseruatione, cultus diuinus potest. Vtrambet hic significationem elegeris, perinde erit. Vtraque enim fati apta oraculo nostro est

r. Sacrae paginae in eam sententiam saepius de Dei timore lo-

quantur. *Psaln XXXIIII 2: Venite filii et auscultate mihi, timorem Domini docebo uos. Et 2 Reg' XVII 28: Docebat eos, quomodo timerent Iehouam et 2 Reg' XVII 7: 35 37 38: cultus idolorum uocatur timor alienorum Deorum. Prouerb I 7: Timor Domini est caput sapientiae. Male omnino explicarentur haec uerba, si per timorem Domini, anxietudo animi, et pavor, intelligeretur. Nam anxius cordis pavor, nihil minus quam sapientiae congruere, augereque illam, potest. Sapientis enim non est, angere nimis de rebus saeculi. Sapiens ille est, qui optimis ad felicitatem consequendam utitur adiumentis, Christianus, qui recte sapit, omnes suas cogitationes, sermones, atque actiones, ad fines bonos, ad Dei scilicet gloriam, sui, aliorumque usus, dirigit. Quae autem sapientiae gloria quam longissime a serui, qui pauet intus, et foris formidat, et quae salutaria, et sibi, et aliis, adiumenta sunt, ut fines suos consequatur, ignorat, persona abest. Id exemplo IO NA E partim, timentis et fugientis, *Ion I* et serui partim, nullum ex talento, fidei suae concredito, lucrum quaerentis, patet *Matth XXV 24 25 seqq*.*

n Legitur quidem *Prouerb VIII 10* Initium חילת sapientiae timor Domini, sed Salomo sibi non contradicit, quia uox חילת uel ad primum praeceptum, legis diuinae initium et caput, uel ad causam, et fontem, qui in unaquaque re et initium, et praeceptum, respicit. Initium igitur, hoc loco, idem est, ac fons et fundamentum, quo omnis diuinae sapientiae initium, et incrementum, innititur, sicut primum Decalogi, ut uocatur, praeceptum, et initium, et fundamentum, est, ex quo omnes reliquorum praeceptorum affectiones cognoscuntur.

§ III

Externum Dei timorem, atque *interiorem*, esse, ^{Timor Dei} qui nesciat, facile est nemo. Interior in mente inhaeret, ^{uel externus} et conspici a nemine, nisi Deo, potest. ^{uel interior} Externus exit est quasi foras, ut conspici ab omnibus, interiorem repraesentans, possit. Vtrumque Deus, messis ordinem, et iurisiurandi fidem sancte seruans, suo quasi iure, a Iudaeis, reliquisque hominibus omnibus, postulat. Haec prima, eaque summa, profecto, religionis omnis, lex est: *timeamus, colamusque Deum* *

* Latissime patent ea, quae hic tradi de officiis hominum et praecipui, ratione messis, possent, si sequi DERHAMOS, NIEWENTYTIOS, SCHEVCHZEROS, FABRICIOS, LESSEROS, RALIOS, aliosque uiros magnos, et doctos, et ire per omnia eorum genera, possemus. Sed disputationis hoc nix limites permittunt

§ IIII

Habet suas, quibus perficitur, cultus diuinus, ^{Cultus inter-} obseruato messis ordine, exterior partes. Iurisiuran- ^{rior suas,} di illius fidem nobis, propter Christum, totius mun- ^{quibus con-} di, et naturae, conseruatorem, et uindicem, datam esse, ^{stat, partes} grata mente agnoscimus. Sic Deum, non ut messis largito- ^{habet} rem solum, sed, ut patrem Domini nostri IESU CHRISTI, colimus, grataque uirtutem eius memoria prosequimur. Memorem etiam ipsi quotannis, sementis ubertatem nobiscum considerantes, animum praestamus. Hac potissimum

tissimum in re omnibus animi uiribus, ne dictis ullis, aut factis, hunc messis, totiusque naturae parentem, laedamus, innitimur. Minus dignos nos tantis beneficiis, iure iurando diuino confirmatis, atque obsignatis, cum IACOBO esse, iudicamus. In eius tandem nos, fiducia pleni, quoniam datam fallere fidem nec uult, nec potest, nostram uitam, curam, fortunas, resque, spesque, plane omnes, tutelam, committimus, huic nos totos tradimus, huic nos, et omnes nostras uias commendamus

y. Gen. XXXII. 10

§ V

Ad externum Dei timorem, quae pertineant

Ad externum Dei timorem, omnes eius laudes, praeclara opera omnia, et rectus acceptorum beneficiorum usus, pertinere, suo iure, uidentur.

§ VI

Laudes Deo, propter messis seruatam ordinem, debentur

Laudes, pro accepto messis beneficio, summas, DEO debemus. Has Iudaeos, tempore messis, antequam a Deo et uirtute deficerent, decantasse, probabile mihi ad modum uidetur. Insignis illa, in diebus Messiae laetitia cum messis gaudio, comparatur, *Ej. VIII. c. 3.* Veterum monumentorum memoriam repetenti, peropportune in mentem eius rei uenit, Israelitarum filias, albis uestibus, laetitiae interpretibus, indutas, die XV mensis Abh, messe et uindemia finita, obambulationes in agros, uineasque, instituisse, ad tibias, cytharasque

que cecinisse, et tympana pulsasse. *b* Frugum primitiae, non sine laudis confessione Deo offerebantur. *c* Canere enim Leuitae, et patres familias, atrium templi cum primitiis ingressi, *Psalmum tricesimum* solebant. Moris etiam Christianorum est, ut, simul ac agri fructus demessuerint, publicis Deum laudibus colant

z Pf. LXXVII. 12. 13. 14. et LXV. 9. 10. 11

a Vid. *Talmud Babylonico in Massech Baba Basra fol. 121*

b Deuteronom. XXVI. a u. 3. usque 10

c Vid. *Gemara Hierosol. Bicurim 65. 4*

§ VII

Praeclara illa, siue, ut recte a Theologis uocantur, bona opera, iquae externi timoris diuini partem quandam constituunt, uel *legis caeremonialis*, uel *moralis*, esse deprehenduntur. Vnius generis sacrificia *V. T. eucharistica*, alterius autem, actiones hominum ad uoluntatem diuinam conformatae, existunt. Iudaei olim pro messis beneficio sacrificia offerre eucharistica debebant. Canistris, quibus primitiae imponebantur, plerumque turtures, uel columbarum pulli, ad sacrificium appensi erant. Manipulus Paschalis, et panes Pentecostales, qui offerebantur Deo, ex nouo illius anni prouentu, erant. Quam etiam ob rem, manipulus ad primitias messis, *Lew XXIII. 10. 11.* ante quorum agitationem solemnem, et oblationem, falcem immittere in messem, haud licebat, spectabat. *Lew XXIII. 14. d.* Agnus simul offerebatur in holocaustum, addito ferto et libamine, *Lew XXIII. 12.* Haec laudis sacrificia Tabernaculorum in primis festis diebus, post absolutam

G

mes-

messum multiplicabantur, *Deur XVI*, 13. *Leuit XXIII*, 26. Pentecostes dies festi uocantur, חג הקציר בכורים, *festum messis primitiarum et tabernaculorum חג האסה festum collectionis Exod XXIII*, 16. Tempore enim Paschatos, in manipuli oblatione, Deum precabantur Israelitae, ut ipsos larga donare messe, frugesque iam iam maturescentes, conseruare uelit. Primitiis autem, in festo Pentecostes oblati, Deo pro accepta conseruataque messe, gratias agebant. Festis uero tabernaculorum diebus, pro omnibus generatim fructibus, siue ex arboribus, siue ex uincis, prouenerint, agere, persoluereque gatas, solebant. Israelitae festis his Pentecostes diebus, Hierosolymas proficiscentes, boues ante se agitabant sacrificiales, et in uia, imo dum urbis portas introirent, carmina, Deo sacra, canebant. Gratiae hae maxime Deo, propterea caeremoniae erant, quod hac ratione omnem agrorum fertilitatem ipsi, propter Messiam, acceptam referrent. Nonnullis in locis, ii, qui agros, ut dicuntur, *feudales*, possident, quotannis certam frugis portionem feudi Domino, in *recognitionem nempe dominii*, ut Iuris Consulti loquuntur, offerre tenentur. Eundem fere primitiarum oblationes apud Israelitas finem habebant. Quam etiam ob rem holocausta, et sacrificia pro peccatis, eodem tempore immolabantur. Imo peccatorum confessio, et manuum impositio, in sacrificiis laudis, et pacificis, locum quendam obtinebant. Sic enim Israelitae, se, nihil de Deo promeritos, tantoque messis beneficio plane indignos, omnia ad Dei bonitatem referentes, publice profitebantur. Quamquam hae caeremoniae Mosaicae iam dudum esse in usu desierint, nihilo tamen minus, alia superesse sacrificiorum genera, quae a nobis, propter messis ubertatem

tatem, requirantur, negotio uel nullo intelligimus. Studium hoc uirtutum magnarum atque amabilium, et pietatis non infucatae, est. Has qui Spiritus, et bonae mentis, Deo fruges, ac primitias, offert, uiuendique, quae constituta ab eo sunt, praeceptis, morem gerit, is gratiofus ualde apud illum erit. Cohel. XII, 13

d. Vid. Iosephus Antiqu. Iud. L. III. c. 10. § 5. fol. 178

§ VIII

Rectus tandem laudabilisque messis^s usus mirifice *Rectus mes-*
Deo placet. Bene autem ii messis beneficio utuntur, qui *sis usus Deo*
ad Dei arbitrium, amorem et gloriam, ad inopiam ali- *placet*
orum subleuandam, ad uitam suam, suorumque, susten-
tandam, conferunt. Quaedam olim messis pars, Deo
sic iubente, Leuitarum, sacerdotumque, sacrorum cu-
ram agentium, erat, id quod ex mandato de decimis ex-
hibendis discimus, *Numer. XVIII, 21. 26.* Huc quoque
primitiae, et ferta libamina, spectant, *Leuitic. XXIII*
17. VII. 13. Partem hic sibi egentes, partem uiduae
et pupilli, partem peregrini, uindicabant. Ex priuile-
giis illud, quae Deus egentium causa tulerat, patet.
Angulus enim agri non erat metendus, sed relinquen-
dus egentibus. *Leuitic. XVIII.* Spicae decedentes, et
uuae cadentes, pauperum portiones erant, *Lew. XVIII*
5. 10. Manipuli, per obliuionem in agro relictis, uti
et oliuae, cedebant iis, qui reifamiliaris angustia pre-
mebantur. *Deut. XXIII. 19.* Semper etiam aliquid in
agris, de industria, pauperibus erat relinquendum. *Lew*
XXIII. 22. Maximam autem messis partem patres fa-
milias ad suos, suorumque, usus conuertebant. Hac autem
ratione, neque auaritiae facile, nec luxuriae, fores aperie-
bantur. Hae etiam apud Christianos uigere liberalita-
tatis

tatis leges debent. Pars messis publico Dei cultui, rerum diuinarum administris pars, aedibus sacris pars et scholis, pars reipublicae, pars denique iis, quibus omnia, ad uiuendum necessaria desunt, tradenda relinquendaque est. 1^a Cor VIII 11. 12. 13. 14. Gal III 10. 1^a Tim VI 17. 18. Reliquis uti, ut sibi et suis bene fit, partibus, unusquisque, cum gratiarum actione, potest

§ VIII

*Christiani
quidam Iu-
daeorum si-
miles*

Similes Iudaeorum, non pauci Christianorum, existunt. Nullius aequae facile rei, quam fidei diuinae, de conseruando messis ordine, ac iurifurandi, obliuiscuntur לֹא אָמְרוּ בְלִבָּם. Quam etiam ob rem, excitandi semper a consuetudinis somno sunt, ut toto cum animo illud, actum de uniuerso genere humano esse, si stare Deus fide ulterius nolle, ac mente, cogitent

e. Vitio ingratam hanc obliuionem IEREMIAS IUDAEIS dedit. Non dicunt in corde suo, timeamus Dominum, et quae sequuntur. Inuehitur grauius in peruersos hos gentis suae mores MOSES, Deur XXXII 15. 16. 17. 18. et Deus Hof II 8

§ X

Votum

Laetificasti, in hunc usque diem, OPTIME MAXIMEQUE DEVS, terram. Iurifurandi fidem, et messis ordinem, sancte seruasti. Ευαγγέλιον τῆς σωτηρίας, corruptum a nemine, ac deprauatum, nobis dedisti. Laeti omnibus laetiis incedimus, hancque gratiam tuam commemorabilem, posteris, gratias tibi perpetuas agentes, annunciamus. Fac, pro tua, quae summa est, et clementia, et sapientia, ut ex nostra, laetitiam et posteris nostri percipiant, et, ut iis, eadem, qua nobis, Ευαγγέλιον τῆς βασιλείας, ratione, hoc est, incorrupte tradatur



Id 5603


ULB Halle

3

005 360 021







B.I.G.

Farbkarte #13

DISSERTATIO
INAUGURALIS EXEGETICO THEOLOGICA
DE

SACROSANCTA
IVRISIVRANDI DIVINI
IN CONSERVANDO MESSIS
ORDINE FIDE

AD ILLUSTRANDVM LOCVM IEREM. c. V. c. 24

QVAM
PRAESIDE
FRIDERICO GVILIELMO
IAHR

S. S. THEOLOGIAE DOCTORE HVIVSQUE PROFES
SORE PVBLICO ORDINARIO ET ALVMNORVM
REGIO-ELECTORALIVM EPHORO
ANNO OB RELIGIOSAM PACEM COETVI
EVANGELICO-LVTHERANO IOBELAEO

DIE SEPTEMBER. MDCCCLV
PRO LICENTIA
SVMMOS CONSEQVENDI IN THEOLOGIA
HONORES
IN AVDITORIO MAIORI DEFENDET
AVCTOR

IO. CHRISTIANVS SCHVLZIUS
ECCLESIAE HELDRVNG. PASTOR PRIMARIVS
ET VICINARVM SVPERINTENDENS

VITEMBERGAE
PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI
ACADEMIAE A TYPIS

a. EXCVIII. 10.